Lane Medical Library

DE

COLICA SATURNINA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCILIANDOS
DIE I. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ANTONIUS FREY
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
C. BISSCHOPINCK, MED. ET CHIR. DR.
A. WILKINGHOFF, MED. ET CHIR. DD.
H. ZUMNORDE, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0034

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

NEC NON

FRANCISCO DARUP

VERBI DIVINI MINISTRO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR

HISTORIA.

Morbus, de quo erit sermo, variis insignitur nominibus, ut: colicae saturninae, morbi metallici, colicoplegiae, Bleikolik, Malerkolik, Hüttenkatze. Jam veteribus medicis hoc malum fuisse notum, satis patet. In *Hippocratis* enim libris jam describuntur montanorum morbi. *Galenus* idem de colica quadam saturno effecta loquitur (1). *Plinius* cautelas affert nonnullas, quibus adhibitis innoxia reddantur metalla (2), ita ut constet, hujus morbi symptomata et causas veteribus plane cognita fuisse, licet morbi nomen, hoc tempore usitatum, non afferant, sed ut omnes abdominis morbos vehementes, dysenteriae adjungant. Postea accuratior deinde distinctio instituta est, ita ut colicae apparerent affectiones spasticae

---

(1) Galen. de compositione medicamentorum secundum loca. Libr. VII. cap. 2.

(2) Historia natur. XXXIII. 5.

intestinorum peculiares, sed nulla tamen ratione habita causarum, a quibus orirentur, quae vero est res maximi momenti, imprimis si spectas ad curam. Quam ob rem fere in omnibus scriptis, quae ex illo tempore exstant de hoc malo, colicae una tractantur variae species, et potissimum morbus Pictaviensium atque Damnoniorum, qui revera simillimus est colicae saturninae, sed aliam tamen omnino ducens originem, et alia praebens symptomata.

Tempore demum recentiori arctissime determinatus est morbus a *Samuele Stockhausen*, quod omnibus medicis gratum hucusque floret. Ille enim tollens confusionem istam, qua similes morbi uno complectebantur, colicam saturninam solummodo oriri docuit plumbo, varie in corpus ingesto. Neque injuste, quod plumbi in corpore effectus sunt certissimi, satisque ab aliis distinguendi. Sed priusquam aggredior ad morbi fusiorem descriptionem, afferam necesse est scriptores celeberrimos, qui tractaverunt hunc morbum:

Stockhausen, de lithargyrii fumo noxio morbifico ejusque metallico frequentiori morbo, vulgo die Hüttenkatze etc. Gosl. 1656.
Henkel, Abhandl. v. d. Bergsucht. Freiberg 1728.
De Haen, ratio medendi.
Stoll, ratio medendi.
Ramazzini, über die Krankheiten der Künstler und

Handwerker, neu bearbeitet von *Ackermann*. Stendal 1780.
Percival über die Bleigifte.
Wilson von dem Mill-reek.
Al. v. Brambilla von der Bleikolik.
K. G. Kühn, gesammelte Schriften von *Tronchin*, *Strak*, *Huxham*, *Grashuis* über die Bleikolik. Leipzig 1784.
P. Frank epitome.
Richter's specielle Therapie.
Haase, über die Erkenntniss und Cur der chronischen Krankheiten. Leipzig 1820.

NOSOGRAPHIA.

Varia in scriptis referuntur hujus morbi symptomata, et revera non semper nobis occurrunt eadem, quod multi interest, an magna plumbi copia ingesta sit in corpus, et veneficium subito coortum sit, nec ne. Quam ob rem ea potissimum afferre liceat, quae saepius apparent et quasi essentialia vocari possunt. Morbus nonnunquam subito, plerumque vero sensim sensimque intrare solet. Saepe jam per longum tempus aegri conqueruntur de gravedine magna atque insueta, ita ut negotia gerere amplius nequeant. Dolores percipiunt obtusos, abruptos in hypochondrio dextro, circa regionem cardiacam, umbilicalem, atque in intestinis. Nullum illis cibi aut potus desiderium. Saporem describunt fastidiose dulcem, ut semper irritet ad vomituritiones. Saliva

subdulcis apparet caerulea, quasi continuo manducaretur plumbum, et per noctem praecipue in ore accumulatur, odoremque diffundit foetidum. Gingiva circumdatur margine griseo, albido; dentes labefactantur. Linguam conspicis obtectam tegmento aeque albido et viscido. Ciborum digestio exigua. Alvi dejectio admodum est tarda, imo nulla. Genae collabuntur atque pallescunt. Cutem sentis frigidam, aut sudore humido obtectam. Nonnulli fuerunt, qui subflavum ejus colorem signum pathognomonicum habuerint, neque omnino injuste, cum bilis secretio perturbata saepe efficiat icterum, ita ut medici veteres et imprimis *Stoll* sejungi non posse crederent colicam saturninam atque biliosam (1). »Notandum enim est (ut ejus verbis utar) plumbum continuo lacessere intestina, et ventriculi continuo lacessitu, et vellicatione assidua systematis gastrici, humores gastricos secerni copiosissimos, bilem praecipue secerni copiosius prae reliquis humoribus, hinc, qui colica saturnina laborant, simul exhibent symptomata colicae biliosae, omnes, qui colicam saturninam habent, ore amaro sunt, vomunt flava, viridia, aeruginosa, linguam exhibent biliosam, ita quidem ut colica saturnina saepe habita sit pro simplici biliosa, et vice versa colica

(1) Stoll dissert. Vol. II. pag. 155.

biliosa pro saturnina; melius diceremus colicam biliosam cum saturnina conjungi.«

Pulsus admodum est tardus, parvus, contractus, et nonnunquam intermittens. Omnino enim hoc tempore morbus febri carere solet, et quasi contabescentiae speciem prae se fert, quae omnes aegroti vires consumat atque exhauriat. Talem formam per longum tempus obtinere potest morbus, priusquam graviorem provehatur in gradum, qui certissime insequitur, si res noxiae non amoventur.

Incremento autem morbi apparente, quo finitur stadium illud chronicum prodromorum, dolores illi valde augentur, regionem praecipue occupant umbilicalem, tantópereque aegrotum cruciare possunt, ut convulsiones, et tetanus ipse inde oriantur. Cum spastica dolorum sit natura, recte judicares, eos tactu non augeri, vel potius minui, quod etiam scripta permulta referunt. Sed plerumque inflammatio subintrans rem reddit aliam. Abdominis musculi ita contrahuntur, ut quasi accreti appareant vertebrarum columnae, quam facillime tactu percipere potes. Solummodo *P. Frank* extensum nonnunquam observavit abdomen. Eodem modo reliqui corporis et praecipue extremitatum musculi contrahuntur, ut omnino incurvatum corpus exsistat. Intestinorum dolores spastici

fere nullam admittunt alvi dejectionem. Ea vero, quae dejiciuntur, apparent perdura, globulosa, stercori caprino simillima, et colore griseo.

Aliud morbi symptoma hoc tempore plerumque intrans est vomitus continuus, ut vixdum aliqua re frui possint aegroti. Materia, quam vomitu edunt, est coloris viridis, nonnunquam vero et ipsas faeces evacuant ore. Ceterum fauces et lingua admodum sunt siccae, fuscae, atque rimosae. Sitis vixdum extingui potest. Si adeo provectus est morbus, febrilis plerumque accedit reactio, facillimeque spasmus transit in ipsam intestinorum inflammationem.

Pulsus, antea tardus et parvus, acceleratur, quin, eum, imminente inflammatione, in durum verti percipis. Angor atque anxietas aegrorum maxime augetur. Morbus si hoc in stadio nondum terminatur, alia adhuc corporis organa afficit. Systema quoque uropoeticum spasmo corripitur, ut ischuria inde oriens summos efficiat dolores. Sequitur deinde organorum respirationis affectio; respiratio est difficilis admodumque anxia, saepenumero singultu inmixta. Vertigine et cephalalgia corripiuntur aegroti peculiari et nonnunquam vehementi, ut ipsa in deliria incidant.

Sensus omnino perturbantur; pupilla, antea contracta, nunc dilatatur immobilisque fit; quin adeo de-

bilitatur visus, ut ipsa amaurosis subsequatur. Eodem modo auditum, aliaque organa omnino destrui observata docent. Saepissime etiam hoc tempore inflammatione atque gangraena morbum finiri vides, imprimis si decursus sit acutus. Si vero nondum intrat mors, affectio systematis nervosi magis magisque increscit; dum alia symptomata paululum remittunt. Tremorem linguae atque artuum ipsas in convulsiones transire, jam supra diximus; sed tandem paralysis omnino excolitur, et maxime quidem extremitatum superiorum, ut pauci modo, inter quos referam *P. Frank* (1), extremitates quoque inferiores paralysi correptas observaverint. Musculi omnino evanescere videntur, et imprimis inter pollicem atque digitum indicem, ut fovea ibi conformetur. Aegroti stupore sensuum omnino affecti admodum contabescunt, statumque incidunt in cachecticum, propter intimam organorum digestionis, nutritionis, et systematis nervosi depravationem.

Varia sunt mala, quae eo adhuc accedere scriptores referunt, e quibus modo nominabo febrem lentam, phthisin pulmonum, hydropem, statumque scorbuto simillimum, ut in toto corpore conspicias maculas nigras, ulceraque putrida.

(1) Epitome pars VII. p. 415.

Signa vero, quae morbi exitum felicem nobis indicant, varia exsistunt, ut pulsus elevatio, cutis calor adauctus, sedimentum in urina, potissimum vero alvi sat magna atque copiosa dejectio, qua apparente maxime minuitur morbi vehementia. — Saepius vero non omnino morbus extinguitur, sed variae affectiones secundariae remanent, ut tremor artuum, vel paralysis partialis, debilitas sensuum, imprimis visus atque auditus, et dolor vagus rheumatico similis.

Morbi recidivam eo magis timeas necesse est, si omnino nondum evanuerant ejus symptomata, et praecipue, si res noxiae non cautissime evitantur. Malae indolis scriptores referunt esse nodos in abdomine, evanescentiamque musculorum inter pollicem et digitum indicem.

AETIOLOGIA.

Veram hujus morbi causam nimiam plumbi copiam in corpus ingestam exsistere, symptomata omnia satis docent. Naturam morbi initio spasticam nonnunquam verti in inflammationem, vel tandem in paralysin, idem patet. Plerumque viros magis laborare hac colica vides, quam mulieres, quod illi saepius rebus noxiis sese exponunt. Aegrotant inde pictores, et ii quidem maxime, qui pigmentis utuntur saturninis,

deinde operarii illi, qui conficiunt haecce pigmenta. Conspicis hunc morbum apud figulos, qui operam dant vasis incrustandis lithargyrio, vel potius apud operarios figulorum, qui adhibentur ad lithargyrium in pollinem conterendum. Laborant politores, qui poliunt mediante quadam rota stannea, plumbea, aut admixta aliqua portione plumbi, laborant inde pharmacopaei, qui plumbata varia ratione tractant, ubi vel pulveres hauriunt, cum plumbata in pollinem terunt, vel vero, ubi plumbum in vapores resolutum in conficiendis emplastris ore accipiunt; laborant ex colica saturnina ii, qui remediis e saturno confectis utuntur; quoties vero incauto plumbi usu tale coortum sit veneficium, praecipue temporibus antiquis, satis docent medicorum scripta, e quibus pauca modo afferre mihi liceat. *Tissot* saepenumero medicamine quodam plumbico adhibito, cui nomen »tinctura antiphthisica Garmanni«, colicam observavit saturninam. Eadem referunt *van Swieten* (1), *de Haen* (2), et *Fridericus Hoffmann* (3) de usu plumbi, quod adhibitum erat contra fluorem album, vel gonorrhoeam, quae sane imminuebantur, sed apparente simul colica saturnina.

---

(1) Swieten Commentar. in Boerhav. etc. Tom. III. p. 356.
(2) Rat. med. part. X. p. 88.
(3) Dissert. de ileo. Hal. 1716.

Alia via, qua plumbum consumitur, incauta est praeparatio ciborum in vasis plumbo subductis, quo fit, ut nonnunquam integram familiam eodem malo una laborantem conspicias, cujus exemplum auctor ipse vidit. — Si vero tam frequentes sunt causae occasionales ad hunc morbum, quid mirum, tot operarios in fodinis et officinis metallicis eo laborare? Vixdum enim evitare possunt homines isti, quominus tempore fere quovis sese exponant metallo huic noxio. Cibis fruuntur conspersis subtilissimo pulvere, qui plumbum continet, aqua utuntur ipsis ex fodinis plumbariis profluente, quae tantam saepe plumbi copiam solutam continet, ut ipsa animalia, quae bibunt eam, colica saturnina pereant. Percival totam fere familiam misere perire vidit, quod utebatur aqua, quae tubis adducebatur plumbeis.

Quo frequentiores vero jam per se exsistunt hae causae occasionales, eo turpius est, homines avaros depravatosque hoc venenum cibis admiscere. Quem fugiunt pulveres isti famosi s. d. Successionspulver, jam veteribus in usum infamem noti? quin hoc ipso tempore, quo acerrima exigitur disciplina, homines avari vino austero acidoque admiscent plumbum, quo edulcent. Sed quid tam multa? Breviter modo perlustrem reliquas, quas scriptores accusant, causas co-

licae saturninae, ut alia metalla, febres male curatas, acrimoniam humorum, mensium, lochiorum, transpirationis suppressionem, iram frequentem, frequenter suppressam, perfrigerationem corporis subitaneam, usum uvarum, vinorum acidorum, fermentantium multaque alia. Hoc quidem constat, ea omnia apta esse, quae colicam efficiant, sed id asserunt fere omnes, illam colicam a plumbatis productam esse morbum specificum, et sui generis, quem nulla hucusque causa praeter plumbum produxisse fuerit observata, et colicam inde saturninam revera debere appellari. Nam quod attinet ad reliqua metalla, a quibus scriptores hanc colicam ortam esse referunt, id quidem negari non potest, ea facillime intoxicationem afferre posse, quae vero certissime differt ab illa ex plumbo orta. Colicam vero Pictaviensium et Damnoniorum, quae efficitur vegetabilibus acidis, austeris, scio per longum tempus eandem habitam esse ac saturninam, sed injuste, qua de re postea occasio erit disserendi.

Id quoque locum hic meret, quod *P. Frank* atque *Richter* contendunt, vinum istud Pictaviensium aut prelis, aut vasis plumbo obtectis depravari, unde sequeretur, morbum illum Pictaviensium quoque originem ducere ex veneficio plumbico. Sed plurimi hoc recte negant, et magis adhuc refutari posse cen-

seo accuratiori symptomatum utriusque morbi comparatione, diversoque eorum decursu.

DIAGNOSIS.

Haud necessarium videretur, multa proferre de diagnosi hujus morbi, qui per se satis patet, et propter peculiaria symptomata maxime differt ab aliis, nisi ab antiquis temporibus viri docti eum confudissent cum colica Pictonum et Damnoniorum, quam omnino aliam, licet simillima sit, jam supra contendimus. Discrimen vero, quod statuitur, fere hoc est. Primo, quod attinet ad regiones; in quibus apparet uterque morbus, colica saturnina ubique invenitur, imprimis vero circa fodinas, e quibus elaboratur plumbum. Colica vero Pictonum maxime amat agrum Pictaviensem in Gallia, Damnoniorum vero in Anglia, quod illis in locis diaeta maxime peccatur, dum homines fruuntur vino recenti, fermentanti vel pomaceo. Quare etiam in Germaniae provinciis illis, in quibus vinum producitur, hic morbus nonnunquam occurrit, et simul etiam arthritis, quae iisdem ex causis originem ducere solet, ita ut *Strak* celeberrimus hunc morbum solummodo arthritidem haberet, quod viris doctis minus fuit acceptum. De causis utriusque morbi sat jam me locutum esse censeo. Quam

ob rem transeo ad decursum colicae Damnoniorum. Lente quidem et tarde ingreditur, cum diutinam causarum occasionalium actionem in corpus requirat, priusquam omnino excùlta sit. Colica vero saturnina multo facilius excitatur, citissime omnia quasi stadia percurrit, et mox efficit totius musculorum systematis contractionem. In colica Pictonum dolor in regione ventriculi modicus est, magisque occupat intestina tenuia, et summo demum in morbi vestigio admodum augetur. Signum autem pathognomonicum apparet continuus ille ructus acidus, ardor ventriculi, sapor foetorque acidus, et tandem vomitus materiae acris et acidae, et dolores trahentes vagantesque per totum corpus. Id quidem negari non potest, utrumque morbum, si ad summum provectus est gradum, vix discerni posse. Secundum *Hymli*, qui causam hujus morbi cum *Strak* arthritidem accusat, citior morbi evolutio, affectio praevalens vesicae urinariae, extremitatumque inferiorum, minus vero superiorum et capitis, signa pathognomonica exsistunt. Tandem, si licet, ut ita dicam, ex juvantibus atque nocentibus, argumenta ducere, in colica Pictonum curanda maximum praebent commodum antiacida, absorbentia, alkalira, in colica autem saturnina involventia, oleosa, mucilaginosa et antispasmodica. Hisce utcunque paucis prae-

missis juste equidem contendere posse mihi videor sane statuendum esse discrimen inter utrumqne morbum.

MORBI DIVISIO.

Pauca modo de morbi divisione dici possunt, praecipue si colica Pictonum, et colicae aliis ex causis ortae, quae a scriptoribus saepe una tractantur, differendae sunt a colica saturnina. Quod vero ad decursum morbi pertinet, sane statui potest acuta et chronica species, licet decursum acutum multo saepius observes. Ratione autem habita ad alios morbos semper est morbus noster idiopathicus, primo occupans canalem intestinalem et inde divagans per totum corpus. Simul quoque est morbus sporadicus, contra Pictaviensium et Damnoniorum colica apparet endemica in regionibus istis Galliae et Angliae, quas supra diximus.

SECTIONES.

Sectiones institutae in cadaveribus eorum, qui colica obierant saturnina, varia prodiderunt in lucem, quin et fuerunt, qui nihil abnorme invenerint. Cum ipsi mihi occasio non fuisset, tali adesse sectioni, ea referam, quae in scriptis inveni (1). *Brunner* canem

(1) Ramazzini 2 Thle. Seite 98.

plumbo venenatum dissecavit, omniaque ejus intestina rubra, inflammataque vidit (1). Eadem observavit *Wilson* in cane, cujus intestina ubique plumbo obtecta atque inflammata, nonnullis quoque in locis erant perforata. Excrementa erant admodum dura, et in globulos exiguos coercita.

Bonnet atque *de Haen* (2), qui saepissime instituerant sectiones, iidem describunt intestina inflammata, partim rubra, partim pallida atque grisea, nonnullis in locis gangraenosa et pure omnino impleta. Saepe etiam invenis tantam intestinorum contractionem, ut vixdum immittere possis digitum, contra alio in loco justo major adest extensio. Reliqua organa, ut hepar, lien et glandulae mesentericae admodum sunt pallida, obstructa, duraque, nonnunquam etiam tumoribus scirrhosis affecta. Ut paucis ergo dicam, potissimum apparent inflammatio ejusque exitus, indurationes et sthenoses.

PROGNOSIS.

Varia sunt, quae in colica saturnina prognosin jubent statuere malam. Tum modo reconvalescentiam omnino sperare licet, si in morbi principio apta ad-

(1) Ramazzini 2. Thl. Seite 98.
(2) rat. med. p. X, pag. 12.

hibetur cura; sed, proh dolor, hoc raro contingit. Plerumque enim tum demum aegroti auxilium sibi petunt, si excultus jam exstat morbus, et forsan adsunt desorganisationes. Quare in gravioribus morbi casibus raro tantum observatur integra restitutio, sed plerumque remanent perturbationes organorum digestionis et systematis nervosi, quae non solum morbi recidivam saepissime admittunt, sed et efficiunt statum cachecticum aeque gravem et difficilem sanatu. Eadem ex causa *de Haen* (1) cautissime edicit de aegrotis, quorum curam susceperat: »sex hucusque apparent curati«, cum plures attamen colica periissent, licet sanati apparuissent. Eo accedit, quod res noxiae fere nullo modo amoveri possunt ab hominibus illis infelicibus, ita ut vix sanati et reconvalescentes denuo sese exponant veneficio.

Fausta habenda sunt signa, ut singula quaedam de morbo afferam, si morbus primo aegrotum invadit, neque ad summum gradum ascendit, si mitior est systematis nervosi affectio, et mox remittit spasmus: imprimis vero si pulsus elevatur, sudor intrat universalis, si humescit lingua, sitis imminuitur, et si alvus satis solvitur, quo maxime evanescit morbus.

---

(1) rat. med. p. X. p. 79.

CURA.

Primo quidem nonnulla afferenda sunt de cura prophylactica, quae tam est magistratuum, quam medicorum. Recte legibus prohibentur tot pulveres contra varios morbos olim in usum vocati. Justissimis aeque poenis coercentur mercatores isti, qui vinum acidum plumbo edulcant atque deperdunt.

Illi vero, quorum est plumbo laborare, vel abstineant nonnunquam a labore, vel, si hoc fieri non potest, caveant, ne salivam deglutiant, in qua maxima plumbi pars continetur. Deinde priusquam assumunt victum, cautissime eluant os, omnesque evitent potus atque cibos acidos. Omnibus vero illis, qui pulverem plumbeum aut cerussam tractant, suadendum est, ut id tali tantum loco perficiant, ubi spiraculo pulvis subtilissimus auferatur. Quam ob rem maximi est momenti, in aerariis aptas construi fornaces, quae tollant vapores istos venenatos. *Percival* et *de Luc* de re montana scriptores celeberrimi confirmant, se multo rarius observasse colicam saturninam ex illo tempore, quo aptiores constructae essent fornaces. Aliud tutamentum, jam veteribus notum, praebent vestimenta accurate corpori inhaerentia, vela tenuia atque pellucida, quae involvunt os totamque faciem, qualia jam describit *Plinius*.

Deinde remedium exstat a *Percival* laudatum, quo uterentur montani in Anglia, si noxios plumbi in corpus effectus timerent (1). »Plerumque, ut ejus verbis utar, detinent labore, et sese conferunt ad calcarias, quia experientia eos docuit, ibi celerrime extingui veneficium,« et revera haud ineptum videtur, licet aliorum medicorum de hac re sententia me fugerit.

Sed omnium prophylacticorum maxime recommendatus est usus cibi pinguis atque oleosi, quo adeo involvuntur intestina, ut veneno corripi non possint. Quam ob rem montani, priusquam laborare incipiant, multo vescantur butyro, vel alio oleoso atque pingui. *De Haen* refert, se in fodinis Styriae ex tribus annis nullam vidisse colicam saturninam, quod montani illo ex tempore, suadente viro experto, multis fructi essent oleosis. Sed hactenus de cura prophylactica.

Transeo nunc ad curam therapeuticam, qualis instituenda sit, si morbus est excultus. Permagna remediorum copia, quae in usum vocata, deinde omissa est, satis docet, malum esse tam grave, quam difficile ad sanandum.

Alii, in quibus potissimum *Stockhausen* et *Brambilla*, crediderunt, plumbum valide adhaerens ventriculo et intestinis gravioribus modo excuti posse dra-

(1) Ramazzini II. Th. Seite 125.

sticis. Sed spasmi dolorumque adauctio, ita ut ipsa enteritis subsequeretur, inutilem, immo periculosam hanc methodum reddiderunt.

Tentata deinde est methodus mere involvens atque antispasmodica, quae praescribit oleosa, mucilaginosa atque nervina. Sed et haec quoque plurimis non satisfecit, cum levissimus solummodo morbi gradus hac ratione sanetur. Quam ob rem fuerunt, qui remedia quaedam specifica adhibenda esse censuerint, in quibus habebantur antimonium, sulphur antimonii auratum, flores sulphuris, multaque alia. Experientia vero docuit, nullum esse remedium, quod hunc titulum specifici possit subire, et male hac via agi de morbi curatione. Tempore demum recentiori, sectionibus cadaverum, observationibusque circa morbi naturam accuratius institutis, indicationes certiores positae sunt, quarum ope certior intenditur cura, licet morbi vehementia saepius attamen omnibus irrideat medicamentis.

Id quidem constat, si subito magna plumbi copia assumta sit, methodum evacuantem et decomponentem e vestigio adhibitam maximam praebere utilitatem. Sed rarior hic est casus, cum plerumque chronicum quasi exsistat veneficium. Si igitur jam apparent plumbi effectus noxii:

1) Contractio musculorum in intestinis, et spas-

mus sunt solvenda, quo simul solvitur alvus, cujus obstipatione morbi vehementia maxime increscit. Varia, ut haec assequamur, in usum vocare possumus, ut olea vegetabilium mitiora, recenterque expressa, oleum olivarum, amygdalarum dulcium, nucis juglandis, seminum papaveris, et imprimis oleum ricini, quae omnia porriguntur vel pura, vel emulsionibus conjuncta. Huc accedunt omnia mucilaginosa, ut gummi arabicum, lac, decocta seminum lini, canabis, avenae excorticatae, altheae, sago et salep.

Si vero spastica illa affectio adeo augetur, ut ipsa intestinorum inflammatio sit timenda, apparatum adhibeas antiphlogisticum, venaesectionemque instituas necesse est, satis copiosam, qua sola interdum morbi vehementiam mitigari posse, observata docent.

2) Nimia canalis intestinalis sedanda est irritabilitas, quo partim jam spectant remedia, quae nominavimus. Sed primum hoc respectu tenent locum narcotica, et potissimum opium, quod non solum anxietatem et dolores infandos lenit, sed et valide solvit spasmos, ita ut viri docti quam maxime id laudaverint. Bene conjungimus cum oleosis istis, aut secundum *Buerger* cum mercurio dulci, ita ut quovis bihorio aegrotus opii circiter assumat granum dimidium, mercurii autem dulcis granum unum. *Stoll*

conjunxit cum camphora atque floribus chamomillae, adeoque laudavit, ut reconvalescentibus ipsis ab hoc morbo per aliquod tempus opium in refracta dosi porrigeret. At quis dixerit, opium facillime efficere alvi obstipationem, et inde ejus contraindicationem sisti. Quod in hoc certe morbo omnino negandum est, cum opium tollat spasmum intestinorum, qui praecipue alvi istam efficit obstipationem. Alia nervina antispasmodica, ut camphora, moschus, castoreum, valeriana adjuvantia quidem sunt habenda, sed nunquam ea praestant, quae opium.

Remedia externa, quae eodem adhibentur consilio, exsistunt frictiones oleosae antispasmodicae, ut olei hyoscyami cocti, unguenti nervini, fomentationes calidae emollientes, et cataplasmata in abdomine, et tandem semicupia et balnea tepida, quibus omnibus remediorum internorum effectus adaugemus.

Sed, proh dolor, haec omnia in gravioribus casibus nondum sufficiunt, imprimis quod attinet ad alvi solutionem. Varia deinde adhuc adhibita sunt, quae amoveant faeces istas duras, ut clysteres aperientes, et mercurius vivus, quod omnino est repudiandum remedium periculosissimum. Secundum *Brambillam* drasticis curam incipere idem quoque vitiosum, jam supra diximus, licet viri maxime experti, ut *Gab-*

ler et *Himly* quoque confirment, sibi multum profuisse drastica vehementiora ipsa. Sed tum primum indicata haec omnia esse, censemus, si paululum jam mota est alvus, et spasmus solutus, ut potius adhuc adsit languor atque torpor canalis intestinalis, contra, si prius ea in usum vocasses, veresimile summam excitasses inflammationem.

Quod ad ischuriam atque urinae suppressionem plenariam attinet, quae haud infrequens est in colica saturnina, plerumque jam sufficiunt ad eam removendam medicamenta, quae diximus. Magnum etiam praebent emolumentum sinapismus et vesicantia ad suras, vel alio in loco apponenda, ut, facta ibi irritatione, spasmus a viis urinariis avietur.

Sed jam restant nonnulla remedia olim valde laudata, atque usitata, nostris vero temporibus partim obsoleta. Alumen a *Grashuis* primo propositum, deinde a *Percival*, *Lentin*, *Tronchin*, *Richter* saepius adhibitum, hodie quoque a multis adhuc in usum vocatur, quod decomponat plumbum. Quin *Himly*, adhibito alumine, ipsam amaurosin colica saturnina coortam evanescere vidit, cum omnia alia remedia nihil profecissent. Sed alii omnino inutile id rejiciunt. Hoc certe observationes docent, alumen, licet sit anceps atque ambiguum, imprimis cum fere semper una

cum opio sit adhibitum, ut nescias, quid per se praestiterit, nunquam tamen omnino esse omittendum, praecipue in graviori morbi forma, quae saepius omnia superat remedia.

Cluterbuck calomel interne adhibitum, unguentum vero cinereum externe, multum sibi praestitisse confirmat. Sed jam antea diximus, mercurii dulcis usum internum cautius modo admittendum esse, et simul quoque non satis patet, qua ratione hoc remedium solum tollere possit morbum, quamvis cieat alvum.

Inter remedia, quae adhibentur eo consilio, quae decomponant plumbum innoxiumque reddant, maxime inserviunt kalia carbonica, hepar sulphuris, solutionesque saponum. *Navier* laudat hepar sulphuris calcarium atque salinum, tum praecipue, si assumtum sit plumbum una cum acidis; vel suadet, sumendum esse vice versa hepar sulphuris, atque acida, ut praecipitatum oriatur, quod deinde laxantibus amoveretur; sed raro tantum aegroti eo in morbi stadio medicum petunt, quo talis methodus utilitatem praebere possit. Diaeta, quae est praescribenda, initio sit parca atque tenuis, magis fluida quam consistens, mucilaginosa atque involvens, ut medicamenta quodam modo adjuvet. Apta sunt lac et decocta mucilaginosa saccharina, minime vero acida, ita ut potius antiacida

adhibeas, si sponte apparent ardor ventriculi aliaque symptomata nimii acidi. Caute modo progrediaris licet ad res magis nutrientes, et ita quidem, ut leniter alvum moveant.

Eodem modo perseverandum est per aliquod tempus in cura therapeutica. Bene hoc tempore reconvalescentibus porrigimus doses modicas drasticorum tonicorum, ut rhei, aloes et tandem tonica ipsa mera et vinum album.

Sed restat, ut sub finem adhuc proferam quaedam de nonnullis morbis secundariis, qui saepius occurrunt post colicam saturninam, et inprimis de paralysi variorum organorum, cum ea frequens una et difficillima sit ad sanandum. Usum requirit tam internum, quam externum nervinorum irritantium. Adhiberi possunt, ut usitatissima modo commemorem, frictiones spirituosae, spiritus serpylli, formicarum, tinctura cantharidum, applicatio rubefacientium. Interne vero boni usus solet esse camphora, balsama, olea aetherea, et decocta resinosa, ut sassafras, guajaci, decocta herbarum et radicum stimulantium, serpentariae, deinde et alterantia, ut sulphur ejusque praeparata. Multum simul profuerunt thermae sulphuratae, sed raro tantum medicorum est, eas in usum vocare apud aegrotos plerumque pauperes. Magni

vero momenti secundum experimenta recentissimis temporibus instituta videtur nux vomica, et praecipue strichninum, ut hoc remedium eo usque minus cognitum accuratissima observatione sit dignum.

Aliud adhuc remedium exstat electricitas, quam valde laudarunt *de Haen*, *Percival* et *v. d. Flüe*, cum ejus ope sanassent paralyses cuivis medelae resistentes. Sed viri aeque graves aliud censent. *Stoll* eam in quinque casibus nocuisse vidit. *P. Frank* detrimentum nullum quidem, sed nec emolumentum observavit. Eadem igitur, quae de alumine et de electricitate valent, cum ambo aliis multum, aliis vero nihil praestiterint.

Quod tandem ad contorsiones istas artuum et praecipue manuum attinet sanandas, emollientia videntur apta. *Hunter* et *Klark* bonum habuerunt usum e mercurio, sed tum demum, cum continenter in usum vocassent.

VITA.

Natus sum *Antonius Frey*, Grevoniae, Guestphaliae pago, die XII. mensis Martii anno MDCCCXIV, patre *Joanne* et matre *Catharina* e gente *Osterhoff*, quibus adhuc superstitibus gaudeo. Fidem confiteor catholicam. Primis litterarum elementis domi imbutus, gymnasium Monasteriense frequentavi per sex annos, unde testimonium maturitatis adeptus litterarum Universitatem Rhenanam petii, ibique a rectore magnifico Ill. *Walther* in civium academicorum numerum, et a decano spectabili Ill. *Harlefs* inter studiosos medicinae receptus has praelectiones audivi. Ex ordine philosophorum mihi exposuerunt: Ill. *a Calker* logicen et psychologiam; Ill. *G. Bischoff* physicam et chemiam experimentalem; Ill. *Treviranus* botanicen generalem; Ill. *Noeggerath* mineralogiam; Ill. *Goldfufs* zoologiam. Ex ordine medicorum: Ill. *Mueller* encyclopaediam et methodologiam artis medicae; Ill. *Mayer* et Ill. *Weber* anatomiam, et artem cadavera rite secandi; Ill. *Mayer* physiologiam; Ill. *Albers* pathologiam generalem et specialem, pathologiam et therapiam morborum syphiliticorum, materiam medicam et medicinam forensem; Ill. *Nasse* therapiam generalem et specialem et physiologiam cerebri; Ill. *Wutzer* chirurgiam, akiurgiam, morbos oculorum, et

et artem fascias apponendi; Ill. ***Kilian*** artem obstetriciam morbosque mulierum. In exercitationibus clinicis chirurgicis per annum moderatorem habui Ill. ***Wutzer***. Annos tres Bonnae versatus Berolinum me contuli, ubi a rectore magnifico Ill. ***Busch*** inter cives academicos receptus, a decano spectabili Ill. ***Mueller*** medicinae studiosis adscriptus sum. Per annum exercitationibus clinicis interfui Ill. ***Rust***, Ill. ***Juengken***, Cel. ***Wolff***, Ill. ***Bartels***, Cel. ***Truestedt***, Cel. ***Dieffenbach***. Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias ago maximas. Tentaminibus vero et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. *Opium infantibus semper nocet.*
2. *Nulla datur exanthematum cura, nisi quae febrem respiciat.*
3. *Fistula ani saepe operationem non admittit.*
4. *Febris hectica amputationem non vetat.*
5. *Causa proxima dysenteriae indolis est inflammatoriae.*

45(11)